Montecatini Ant. Con. Oratio coram Sanctissimo D. N. Urbano VIII. in publico Consistorio habita 20 Martii 1627.

ORATIO
COMITIS ANTONII
MONTECATINI
Consistorialis Aulæ Aduocati,
CORAM SANCTISSIMO D. N.
VRBANO OCTAVO
In publico Consistorio supplicantis:
PRO BEATO
ANDREA CORSINO
CARMELITA,
& FESVLANO EPISCOPO,
In Sanctorum numerum referendo:
Habita
Die XX. Martij, M DC. XXIX.

Superiorum permissu.



ORATIO.

DIVINÆ voluptatis hortus Eccleſia, quem Tu ritè claudis & aperis, Beatiſſime Pater, ver agit perpetuum, quia ſemper habet ſuauiter adſpirantem Fauonium, æternę Spiritum veritatis. Quòd ſi Chriſtiani per ōnes partes Imperij iugiter vernat florulenta fœcunditas: Florentiæ præſertim non ſemel, ſeculorum decurſu labentium, florida ſanctimonia germinauit. vt laudum omnium genere florens vrbs, hoc etiam haberet omen in nomine: quòd integerrimæ vitæ flores parturiret, qui conſererentur in terris, transferrentur in cælum. Ex his vnum hìc ego præ cæteris Sanctitati Veſtrę propono, Beatiſſimum virum ANDREAM CORSINVM Carmelitam olim, & Feſulanum Epiſcopum; vt eum florem Sanctitas Veſtra, ſi dignum iudicauerit, humano generi non tam odorandum proferat, quàm adorandum. Quamquam qui bonus odor eſt Chriſti, dum virtutis fragrantiam ſpargit, honorem colligit venerationis. Liceat igitur mihi per Maieſtatem iſtam, quæ Vicaria Diuinitatis deterreret omnino dicentem, niſi magni pectoris hoſpite humanitate mitigaretur: liceat inquā res ab Andrea ſanctè geſtas nō exornare oratoriè, ſed hiſtoricè enarrare. Magnarum quippe virtutum ſola commemoratio, ſolet eſſe luculenta laudatio.

Florentiæ, in Etruſcarum vrbium flore, Italiæque horto

amœnissimo, de nobilissima stirpe Corsina ortum duxit Andreas, natus anno à Virginis partu, Millesimo trecentesimo primo. Neque immeritò Corsinam familiam nobilissimam appellaui, quæ iam inde ab anno salutis ducentesimo octogesimo secundo supra millesimum, supremos Florentię Magistratus frequenter administrauit: quæ in grauissimis bellis optimos Florentinæ Reipublicæ suppeditauit Duces: ex qua prudentissimi prodiere ad maximos quosque Principes Legati: quæ demum huic Sanctissimo Christianę Reipubl. Senatui Petrum Corsinum obtulit, Florentinum priùs Episcopum, deinde purpuratos inter Patres adnumeratum. Ex hac igitur vetustissima progeniæ flos ille sanctimoniæ suum deriuauit genus. Quamquam de cælo veriùs originem duxisse dici potest, qui ab effætis parentibus Nicolao, & Peregrina, effusis in Cælum precibus, & Cælestis Reginę beneficio impetratus fuit. Habuit hoc ipse decus commune cum alijs, vel sanctitate, vel alia quauis egregia laude præstantibus, vt hominũ precibus, & maximę Virginis beneficio nasceretur.

Verùm, ô breues humani veris illecebras! Flos ille satus precibus, lacrymis irrigatus, sub sydere Virginis ortus, iuuentutis misera, sed non mira calamitate, facilè degenerauit in spinas: quæ tam acriter parentum animos pupugerunt, vt viam inierint omnem, qua procliues, in malum vnici filij mores ad bonam frugem reuocarent. Sed hæc mutatio Dexteræ tantùm Excelsi reseruabatur: quia nimirum vitiorum nobis ipsi fabri sumus, virtutum Artifex Deus est. Ergo contemnenti salutaria parentum monita iuueni subirata aliquando Peregrina Mater: Tu scilicet, ad eum ait, execrabilis ille lupus es, quem ego quondam me parere somniaui. Ad hanc Andreas vocem diuinitus animatam exterrefactus, quid illud esset somnij, præter solitum mansuetè demisseq; percunctatur. Cui Mater: Vt te filium verè lacrymarum, ac

votorum

votorum, ab vteri ſterilitate negatum, à Dei Magnæq; Virginis benignitate impetraremus, religioſa ſponſione promiſimus, primitiuum ventris mei fructum Principi rerum, eiuſque Parenti ſanctiſſimæ dicatum iri; ſequutus eſt ratum votum fœlix euentus. Verùm paulò antequam edereris in lucem; ego ſomno correpta viſa mihi fui per quietem non hominem eniti partu, ſed ferocem aſpectu lupum, qui tamen poſtea Templum ingreſſus, in candidiſſimum conuerſus eſt Agnum. Vtinam quēadmodum ſomnij principiū hactenus, ita finis verus in poſterum comprobaretur. Penetrarunt amantiſſimæ parentis hæc non verba, ſed tela diuino dirigente conſilio, cor filij iam doloris, mox gaudij. Nouę compos mentis Andreas in ſe reuerſus, anteactæ vitæ idem reus, accuſator, & iudex, ad animi Tribunal cauſam cœpit orare. Poſtero verò die Carmelitanæ familiæ Templum adit. ibi Dei Parentis ad Aram prouolutus in genua, ſupplices tendit manus, rorantibus oculis veniam expoſcit, atque ad ſupremum Iudicem patrocinium Virginis efficax obteſtatur. Audiuit Benigniſsima Parens orantis preces: reſpexit lacrymas pœnitentis: neq; ſolùm veniæ ſpem, ſed etiam nouam Andreæ mentem impetrauit à Filio præpotente. Diſcedit iuuenis inde ſpei ſecurus, animi certus: Prouincialem ſacri eius Ordinis enixè rogat, vt ſe Dei, ac Virginis Matris famulorū cooptet in numerum. Defertur id ad parentes: quibus propterea vehementer lætantibus, vltroq; iam deuotum pignus offerentibus, Carmelitanæ familiæ dat nomen Andreas: aut potius flos hic iam delibatus è ſpinis, in amœniſſimo Carmeli vertice collocatur. Et ſapienter ille quidem hanc ſibi præ cæteris Religioſam familiam ſelegit, quæ tum originis antiquitate, quam vel ab ipſis Prophetis Helia atque Heliſęo repetit, tum Inſtituti integerrimi ſanctitate, tum Illuſtrium vi-

ta do-

ta doctrinaque Virorum copia in Christiana Repub, floruit semper, ac magis magisque floret in dies.

In hoc amœnissimo laudum eximiarum horto, quam ille protulit virtutum variarum pulchritudinem! quantum vndique sparsit odorem sanctimoniæ! quam inusitatę fuit aspicientibus vel admirationi, vel voluptati! Admirabilem se planè præbuit in ea præsertim tenacitate propositi, quam artibus malignis, ac fraudibus frustra tentatus ostendit. Ad spiritus antiquos infringendos, vilissimis quibusque ministerijs ponebat Andreas rudimenta tyrocinij sui. Cùm igitur aliquando ianitoris officio fungeretur: ecce tibi nobilis quidam Ciuis, eius consanguineus, homo sanè carnis, & sanguinis; siue vt alij crediderunt, humano sub aspectu teterrimus humani generis hostis. Is Andream vbi vidit ignobili munere occupatum, extenuata facie, pannosis vestibus; medius admirationem inter, atque indignationem: Ita ne verò, inquit, Andreas Corsinus hic est, iuuenum paulò ante flos, & splendor Florẽtinæ nobilitatis? huc illa recidit apud omnes gratia singularis? huc illa gloria? O miserum iuuenem falsa quadam opinione deceptum! ô mentem serò, sed frustra redituram in se! Quid tuorum annorum flori cum claustris? Quid tuæ familiæ luci cum istis tenebris? Age Iuuenum amicissime; reuertere dum licet, ad pristina solatia; fruere concessis bonis; vtere sorte, & iuuentute tua. Sic ille vel tentator hominum, vel tentatoris interpres, atque administer. cuius verbosæ suadelæ inuicto silentio, & signo Crucis impresso frõti respondit Andreas. Quo responso, aut veriùs repulsa, deuictus ille, fusus, ac profligatus est.

Quid iam de assiduis eius precibus dicam? quid de prolixis vigilijs? quid de frequentibus ieiunijs? quid de reliquis corporis afflictionibus? quid de palam emendicata stipe, publicis

publicis præsertim in vijs, in quibus ipse spectaculum anteà dederat magnificentię suæ? vt verè Deo consecratum agno sceret Florentia florem illum, quem sibi mundi pompæ dolo malo subripuerant. Neq; sibi solùm, sed alijs quoque renatus ad meliorem vitam Andreas videbatur. Ex eadem Corsina familia Ioannes erat; qui cùm inexplebili laboraret ingluuie, seu lupæ morbo, nullum efficacius remedium existimabat, quàm sese penitus voluptatibus ingurgitare. Andreas in consanguineo suo miseratus & animi calamitatem, & corporis: ei præscripsit, vt à perniciosis ludis abstineret, & diebus septem ieiunijs precibusque sanitatem exposceret à Deo, Deique sanctissima Genitrice. Quæ sanè aptior multo fuit vtrique morbo medicina: siquidem contraria curari cõtrarijs, certissimum est medicæ artis effatum. Ita Ioannes, Andreæ consilijs adiutus, & meritis; & mente, & corpore incolumis euasit, admirante vniuersa Ciuitate. Vbi verò Sacerdotio fuit vir integerrimus initiandus, non ille solemnes quæsiuit pompas, & festiua conuiuia; sed vna illa contentus mensa, in qua Panis viuus apponitur, qui de Cælo descendit; in suburbano Cœnobio, cui nomen est à siluis, Diuinæ Trinitati sacrorum primitias obtulit. At vbi desiderati sunt hominum apparatus, non defuere cælestes. Incruentum enim libanti sacrificium Andreæ videndum in clara luce se præbuit Angelorum stipata choro maxima Virginum, Cæli Regina; eumque his est vocibus alloquuta: *Seruus meus es tu, quoniam elegi te; & in te gloriabor.* O gloriam in terris raram, in Cælo spectabilem!

Longum hîc esset recensere multa, quæ viuens Miracula patrauit Andreas: restitutam Auenione Cœco visuram oculorum, dum ille Parisiis Florentiam reuertens Patruum suum postea S. R. E. Cardinalem viseret: hydrope laboranti

redditan

redditam sanitatem: euentura veraciter ab eo prædicta; aliaque complura. Vnum illud omittere non possum, quod sub eius inaugurationem in Fesulanum Antistitem mirabiliter contigit. Extincto eius Vrbis Episcopo, omnium ad quos noui Antistitis spectabat designatio, in vnum Andream Corsinum conspirauere suffragia. Florentinum tunc ille Carmelitanorum Cœnobium cum summa prudentiæ, ac sanctimoniæ fama moderabatur. Id ipse vbi per nuntium comperit, in remotissimum locum tacitè se recepit, vt delatum fugeret munus. quare diu quæsitus, nusquam inuentus fuit. Sed quando non tam humanitus creatus, quàm destinatus diuinitus Episcopus Andreas erat: cum ad alium designandum conuocatus fuisset cœtus; Ecce tibi puer trium annorum ex improuiso voce altissima exclamauit: *Elegit Deus Andream in Sacerdotem sibi: eum in Carthusiensi Monasterio precibus vacantem reperietis.* Eodem tempore puer quoque visus Andreæ diuinam voluntatem significauit, qua vetabatur impositum onus detrectare. Illud igitur cùm subterfugere non posset, æqua mente suscepit: & quam patienter subijt, tam sapienter administrauit. Mitis in omnes, in se vnum seuerus, cathena ferrea se constringebat. Ieiunijs ipse addictissimus, gregem suum pascebat non solùm verbo veritatis, & exemplo virtutis, sed etiam pane liberaliter dispensato. Quam liberalitatem, vt ostenderet sibi gratissimam, insigni Miraculo cumulauit Deus. Cùm enim largiendo exhaustum aliquādo esset quicquid erat panis in arca, iussi ab Andrea serui rursus eam scrutari, quam relinquerant vacuam, panibus abundantem admirabundi repererunt.

Sed admirabilior fortasse fuit, quem exponam, euentus. Consueuerat Beatus Antistes hebdomadæ cuiusque quinta feria Christi Domini sequutus humilitatem, egenis

aliquot

aliquot ſuis manibus pedes abluere. eorum vnus infectos graui vlcere pedes proferre non audebat. id vbi cognouit Andreas, addidit animum; eos alacriter tetigit, lauit, abſterſit, & in cumulum beneficij, & in præmium tolerantiæ, ſanauit. Atque vt alia prætermittam, quæ Viri ſanctitatem non ſine hominum admiratione teſtantur: vnum illud ante obitum factum præclariſſimum attingam; in quo quantùm iudicio, ac vitæ integritate floreret, palam omnibus fecit. Chriſtianæ Reipublicæ clauum ea tempeſtate VRBANVS Quintus regebat: qui vt optimè nouerat Andreæ virtutes, ad componenda quædam in vrbe Bononienſi Ciuium diſſidia, illum ſui Nuntij nomine ſumma cum poteſtate tranſmiſit. Iuit ille Bononiam: audiuit partes: compoſuit diſſenſiones: acerbiſſima odia extirpauit, amiciſſimam inſeuit pacem. vt vſurpare meritò potuerit Cæſareas illas voces, *Veni, vidi, vici.* Vnde quis non intelligit, in Vrbanorum manu Pontificum Andreę Corſini gloriam videri diuinitus collocatam? cùm ab Vrbano Quinto meritorum ingentium opportunitas illi fuerit oblata: ijſdem verò meritis ingens gloria reſpondens ab Vrbani Octaui benignitate ſupliciter expectetur. Nimirum, & Vrbium incolumitati proſpicere, & Orbis terrarũ preces humaniter audire, vere Vrbanum eſt.

Vitam denique ſanctiſſimè traductam fœliciſſima morte coronauit Andreas; quam ipſe nocte Epiphaniam ſubſequente obeundam, à Virgine ſibi viſa prædidicit Natali Chriſti Domini nocte poſt ſacrum celebratum; alijsque prædixit. quique pallidus antea ſquallidusq; videbatur, exinde viſus eſt præ lætitia roſeo quodam rubore iuueneſcere. Vbi fortuna nox acceſſit, eadem Dei Mater ad eius animum in Cœlum committandum (quod promiſerat) redijt. Cùmque cubiculum vniuerſum meridiana luce fulgeret; flos ille

virtutum pulcherrimus ex Eremo terrarum, Virginali manu
translatus est in Cælestem Paradisum : vnde plurima morta-
libus edidit suæ fælicitatis argumenta. Nam & eius corpus
incorruptum, admirabilem iugiter fundit odorem, sanandis
ægritudinibus salutarem : adeo vel ipsum floris huiusce Ca-
dauer odoratum est : & sepulchrum innumeris est illustre
Miraculis : & patrocinium Patriæ Florentiæ fuit in insigni de
Hostibus victoria luculentum.

Rem, vti gesta est, paucis perstringam. Eugenio Quar-
to Summo Pontifice Florentię commorante, Philippus Ma
ria Mediolanensis Dux per Nicolaum Piccininum strenuissi
mum Ducem, Florentinis Ciuibus atque ipsi Pontifici Bel-
lum grauissimum indixit,atque intulit. Et iam deuastatis cir-
comiectis Florentię Oppidis,ipsimet vrbi, cum summa Pon
tificis, ac purpuratorum Patrum formidine, postrema cala-
mitas imminebat. In tam præsenti discrimine cùm parum tu-
tò subsidijs humanis fidendum videretur, ad Diuina confu-
giendum esse censuerunt. Quamobrem ad Carmelitano-
rum Templum, vbi Beati Andreæ sacra ossa quiescebant,
magna populi religione concurritur. Ibi adolescenti cuidam
videndum se præbet Vir sanctus. iubet, vt ad Belli Præfe-
ctos suo nomine referat: si quinta die post sacram S. Ioanni
Baptistæ lucem cum Hoste conserant manus, Pontificios,
& Florentinos milites victoriam de hostibus reportaturos:
Pater ipse iubenti Andreæ: sequuntur illi consilium. dicta
die bellum gerunt, Hostem debellant. Quæ tum gratiæ, quæ
acclamationes, quæ grati deuotique animi significationes
erga Andream exhibitæ! qui concursus ad Templum! quæ
sacrorum ossium veneratio! quæ dona, quę promissa perso-
luta! Eugenius ipse Pontifex ob hoc tam insigne Miraculum
tot alijs additum, cum in Beatorum numerum adscripsit.

Reliquum

Reliquum iam est, vt tu Beatissime Pater, quâ maxima post Deum polles auctoritate, debita virtutibus tantis præmia rependas: quem Cœlo donauit Deus, cumules Tu quoque veneratione terrarum. Nam quod olim à Paulo Secundo Summo Pōtifice maximis precibus Florentina Respublica postulauit: quod annis consequentibus Christianissimi Galliæ Reges Henricus Quartus, & Maria medicea, Magnus Etruriæ Dux Ferdinandus, Generalis Ordinis Carmelitani, & Nobilis Corsinorum Familia ab Octauo Clemente enixè poposcerunt: Id ipsum hoc tempore, quo summa in Terris Maiestas in Florentino Pontifice, in Vestra nimirum Sanctitate, refloruit; & Christianissimi Galliæ Reges Tertiusdecimus Ludouicus, & Maria eius Mater, & Magnus Etruriæ Dux Ferdinandus Secundus, & eædem familiæ, tàm Carmelitanæ sanctitatis, quàm Corsinæ nobilitatis, quæ nullis in hac re pepercit impensis; & Tua præsertim Patria Florentia precibus infimis expetit: Easque Tibi supplices tendit manus, à quibus exceptus olim fuisti, dum ad Mundi sacrosanctum Imperium nascereris.

Esto, Beatissime Pater, Patriæ tuæ Parens, filium eius, & Patronum Andream Cœli Ciuibus adnumerando: vt glo riari simul Florentia possit, & Andrea Corsino Sancto, & Vrbano Octauo Pontifice.

RESPONSIO IOANNIS CIAMPOLI, Secretarij Apoſtolici domeſtici

SANCTISSIMI D. N.

VRBANI OCTAVI.

TYRANNORVM iniquitas publicæ fælicitatis oblita, potuit quidem aliquãdo, poſthabitis virtutibus ad imperia natis, indignos vocare ſucceſſores ad regnum. At enim nulla vnquam in Orbe terrarum vis tanta dominabitur, quæ vitijs triumphantibus patefaciat cœlum eleemoſynis venale, & armis pietatis expugnabile.

Quare dum cæleſtes honores ab Interprete Diuinitatis authoritate Apoſtolica petuntur B. Andreæ Corſino Sacerdoti Carmelitæ, & Feſulano Epiſcopo, ponderari omninò debent ſuffragia ſanctimoniæ, & explorari arbitrium Omnipotentis.

Gratula-

Gratulatur quidem Sanctißimus Dominus Noster sacrum hoc postulanti Patriæ decus, trophæis omnibus anteferendum.

Eadem ætas, quæ nascẽtem aluit, & properata votorum fælicitate Sanctum adorauit Philippum Nerium, nunc radiata diademata quæri gaudet B. Andreæ, cui constans tercentum ferè annorum Religio obtulit Ecclesiasticę laudis sacrificium.

Ob id iucunda prorsus ad Pontificias aures accidit oratio, quæ piam potentißimorũ Principum, ac nobilium Familiarum petitionem declarauit.

Tales enim Beati Antistitis virtutes commemoratę sunt, vt miracula, quæ habentur beneficia cœli in cõsortium Diuinę potestatis homines vocantis, existimentur in eo fuisse præmia meritorum hæreditatem Domini iure adoptionis adeuntium.

Videntur planè nõ temerè decerni posse obsequia mortalium Magno illi Sacerdoti, de cuius sanctitate se gloriaturam ipsa Angelorum Regina pronunciauit.

Optandum autem præsertim est in tanta Italiæ tumultuantis sollicitudine, vt quem Vrbanus Quintus, Apostolicæ legationis gloria decoratum in ciuitatem vnam dicitur misisse, ad coërcenda prudentis charitatis officiis dissidia seditionum; eundem Vrbanus Octauus triumphalibus Sanctitatis ornamentis auctum aduocet in terras, ad bellorum incendia cælestis concordiæ spiritu restinguenda.

Verùm quamuis iuratos testes auditos, & acta ritè confecta cognoscat Sanctißimus Dominus Noster, tamen in cœlesti negotio transigendo maiorem vim inesse intelligit in fidei lumine, & orationibus iustorum, quàm in consilijs prudentiæ, & iudicium disceptacionibus.

Proinde

Proinde hortatur omnes, vt ieiunijs, eleemosynis, ac precibus euocent Pontificię menti radium Spiritus sancti patefacientis arcana æternitatis. Ipse verò rogabit sententias Venerab. fratrum suorum S. R. E. Cardinalium; tum autem Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos audiet in Vrbe commorantes.

Fas enim est in declarandis cohæredibus Christi audiri suffragia terrarum, & cœlestis impulsum Numinis expectari.

In hanc sententiam respondere me iussit Sanctissimus Dominus Noster elegantissimæ Orationi modò habitę.



CRACOVIÆ,
In Officina Typ: Matthiæ Andreouienſis,
Anno M DC. XXIX.